ctib⁹ mitigatꝭ. facili⁹ celeſtia capia
mus. P.

Lcō yſaie ꝓphe. p̄mo.

H ec dt dñs ds. Lauami mūdi
eſtote: auferte malū cogita
cionū vrāꝝ ab ocul' meis. Quieſci
te agere ꝑuerſe: diſcite bn̄facere.
Querite iudiciū. Subuenite oppſſo
iudicate pupillo defendite viduā
et venite et arguite me dt dñs. Si
fuerit pctā vr̄a vt coccinū: q̄ſi nix
dealbabūt. Et ſi fuerint rubra q̄ſi
vermicul⁹: velut lana alba erunt
Si volueritꝭ et audieritis me: bo
na t̄re ꝯmedetis. Dicit dñs ops.

B eata gēs cui⁹ ē dñs ds

Gra.

eoꝝ ꝓpl's quē elegit dñs in heredi/
tatē ſibi ꝟ. Verbo dñi celi firma/
ti ſūt et ſpū oris ei⁹ ōnis vt⁹ eoꝝ.

I N il. t. Prete/

S Johem. ix.

riēs ihs vidit hoīem cecum
a natiuitate Et iterrogauerūt eū
diſcipuli ſui Rabbi: q̄s peccauit. h
aut parētes ei⁹ vt cec⁹ naſcēt. Reſ
pōdit ihs Neq̄ʒ h peccauit neq̄ʒ pa

rētes eius ſed vt manifeſtent̄ opa
dei in illo. Me oportet opari opa
eius q̇ miſit me: donec dies ē. Ve/
nit nox: qn̄ nemo p̄t opari. Quā/
diu in mūdo ſum: lux ſum mūdi.
Hec cū dixiſſet expuit in terrā. ⁊ fe
cit lutum ex ſputo. et liniuit lutū
ſup̲ oculos eius et dixit ei. Vade ⁊
laua in natatoria ſyloe: qd̄ interp̄
tatur miſſus. Abijt ergo et lauit ⁊
venit videns Itaq; vicini. ⁊ qui vi
derūt eū prius quia mēdic⁹ erat:
dicebāt. Nonne hic eſt q̇ ſedebat ⁊
mendicabat? Alij dicebāt quia hic
eſt: alij autē nequaq̄. ſed ſimilis
eius eſt. Ille vero dicebat. q̇a ego
ſum. Dicebāt ergo ei. Quō aper/
ti ſunt tibi oculi? Rn̄dit. Ille hō q̇
dicit iheſus. lutū fecit ⁊ vnxit ocu/
los meos: et dixit michi. Vade ad
natatoria ſyloe: ⁊ laua. Et abij: et
laui. ⁊ video. Dixerūt ergo ei Vbi
eſt ille? Ait. neſcio. Adducunt eū ad
phariſeos: q̇ cecus fuerat Erat āt
ſabbatum: qn̄ lutum fecit iheſus.
et aperuit oculos eius Iterum er
go interrogabāt eū phariſei: quo
modo vidiſſet Ille aūt dixit eis. Lu
tum poſuit michi ſuper oculos: ⁊
laui ⁊ video. Dicebāt ergo ex pha
riſeis quidā. Nō eſt hic homo a dō
qui ſabbatū nō cuſtodit. Alij dice
bant. Quomodo poteſt hō pecca/
tor hec ſigna facere? Et ſciſma e/
rat inter eos Dicunt ergo ceco ite
rum. Tu quid dicis de eo qui ape/
ruit oculos tuos? Ille autem dixit
quia propheta ē. Non crediderūt
ergo iudei de illo. quia cecus fuiſ/
ſet et vidiſſet: donec vocauerunt
parentes eius. qui viderat. ⁊ int̄/
rogauerunt eos dicentes. Hic eſt
filius veſter. quē vos dicitis quia
cecus natus eſt? Quomodo ergo
nunc videt? Reſpōderunt eis pa/
rentes eius: et dixerūt. Scim⁹ q̇a
hic eſt filius noſter. et quia cecus
natus eſt: quomodo autē nunc vi
deat neſcim⁹. aut quis eius ape/
ruit oculos nos neſcim⁹. Ipſum
interrogate: etatē habet. ipſe de
ſe loquatur. Hec dixerūt parētes
eius: quia timebāt iudeos. Iā em̄
conſpirauerāt iudei: vt ſi quis eū
confiteretur chriſtum extra ſyna/
gogam fieret. Propterea paren/
tes eius dixerūt: quia etatē habet
ipſum interrogate. Vocauerunt
ergo rurſum hominē qui fuerat
cecus: et dixerūt ei. Da gloriā deo
Nos ſcimus quia hic hō peccator
eſt. Dixit ergo ille. Si peccator eſt
neſcio. Vnum ſcio: quia cū cecus
eſſem. modo video. Dixerūt ergo
illi. Quid fecit tibi? Quō aperuit
tibi oculos. Reſpōdit eis. Dixi vo
bis iam ⁊ audiſtis: quid itez̄ vul/
tis audire? Nunq̇d et vos vultis
diſcipuli eius fieri? Maledixerūt
ei: et dixerunt. Tu diſcipul⁹ illius

ſis: nos autem moyſi diſcipuli ſu
mus. Nos ſcimus quia moyſi lo/
cutus eſt deus. hunc autem neſci/
mus vnde ſit. Reſpondit ille hō: ⁊
dixit eis. In hoc em̄ mirabile ē: qꝛ
vos neſcitis vnde ſit. et aꝑuit me/
os oculos. Scim⁹ autē: quia pec/
catores deus non audit. Sed ſi q̇s
dei cultor eſt. ⁊ volūtatem eius fa
cit: hunc exaudit. A ſeculo non eſt
auditū: quia aperuit quis oculos
ceci nati. Niſi eſſet hic a deo: nō po
terat facere quicq̄ꝫ. Reſpōderunt
et dixerunt ei. In peccatis natus
es totus et tu doces nos? Et eiece
runt eum foras. Audiuit iheſus
quia eiecerūt eum foras: et cū in/
ueniſſet eum. dixit ei Tu credis in
filium dei? Reſpondit ille: et dixit.
Quis eſt domine vt credā in eum
Et dixit ei iheſus. Et vidiſti eum.
et qui loquitur tecū ipſe eſt. At ille
ait. Credo domine. Et procidens
adorauit eum. Offer.
Benedicite gentes dominū deū
noſtꝝ et obedite voci laudis ei⁹ q̇
poſuit animā meā ad vitam ⁊ nō
dedit cōmoueri pedes meos bene
dictus domin⁹ qui nō amouit de-
precationē meam et miſericordiā
ſuam a me. Secreta.
Supplices te domiē rogam⁹: vt
hijs ſacrificijs peccata noſtra mū
dētur quia tunc veram nobis tri-
buis et mentis et corꝑis ſanitatē.

P. Co. Lutū fecit ex ſputo do/
minus ⁊ liniuit oculos meos ⁊ a/
bij et laui et vidi et credidi deo.
Sacramēta que Cōplenda.
ſumpſim⁹ dn̄e deus noſter. ⁊ ſpi/
ritalib⁹ nos repleāt alimētis ⁊ cor
poralib⁹ tueātur auxilijs. Per.
Pateāt aures mi/ Sup pplm
ſericordie tue dn̄e precib⁹ ſupplicā
tium: ⁊ vt petētib⁹ deſiderata con
cedas. fac eos que tibi ſunt placi/
ta poſtulare. Per dominū.

Feria quinta Introitus.

Letetur cor querēciū dn̄m q̄/
rite dn̄m et cōfirmamī que/
rite faciē eius ſemꝑ. Ps. Confite
mini dn̄o et inuocate nomē ei⁹ an
nūciate inter gentes oꝑa eius.
Preſta qm̄s ops Collecta.
deus: vt quos ieiunia voti/
ua caſtigāt. ipſa q̄qꝫ deuocio ſanc/
ta letificet: vt terrenis affectibus
mitigatis. facilius celeſtia capia/
mus. P. Lcō li. Regū. quarto. iiij.
In dieb⁹ illis. Venit mulier
ſunamitis ad helizeū ꝓphetā
in mōtē carmeli. Cūqꝫ vidiſſet eā
vir dei ecōtra: ad iezi puerꝝ ſuū dix
it Ecce ſunamitꝭ illa Vade ergo in
occurſum ei⁹: ⁊ dic ei. Recte ne agi
tur circa te: ⁊ circa virꝝ tuū. ⁊ circa
filiū tuū. Que rn̄dit. Recte Cumqꝫ
veniſſet ad virꝝ dei in mōtē apphē
dit pedes ei⁹. Et acceſſit iezi: vt a-
moueret eā. Et ait hō dei Dimitte

eam: aīa eī̄ eius in amaritudine
eſt: et dn̄s celauit a me. et nō indi/
cauit michi. Que dixit illi. Nunqd
petiui filiū a domīo meo? Nunqd
non dixi tibi ne illudas me? Et ille
ait ad iezi. Accinge lumbos tuos: et
tolle baculū meū in manu tua. et
vade. Si occurrerit tibi homo: nō
ſalutes eū. Et ſi ſalutauerit te qſ/
piam: nō reſpōdeas illi. Et pones
baculum meū ſup faciem pueri.
Porro mater pueri ait. Viuit do/
minus ⁊ viuit aīa tua: non dimit
tam te. Surrexit ergo. ⁊ ſecut⁹ eſt
eam. Iezi aūt precesserat añ eos. ⁊
poſuerat baculū ſup faciē pueri:
et non erat ei vox neqꝫ ſenſus. Re/
uerſusqꝫ ē iezi in occurſum eius:
et nūciauit ei dicēs. Non ſurrexit
puer. Ingreſſus ē ergo helize⁹ do
mū: et ecce puer mortuus iacebat
in lectulo ei⁹. Ingreſſusqꝫ clauſit
oſtium ſup ſe ⁊ ſup puer̄: ⁊ orauit
ad dn̄m. Et aſcēdit ⁊ incubuit ſup
puer̄: poſuitqꝫ os ſuū ſup os ei⁹. ⁊
oculos ſuos ſup oculos ei⁹ et ma/
nus ſuas ſup man⁹ eius Et incur
uauit ſe ſup puer̄: ⁊ calefacta ē ca
ro pueri. Et ille reuerſus: deābu/
lauit in domo ſemel huc atqꝫ illuc
Et aſcēdit et incubuit ſup eū. ⁊ oſ/
citauit puer ſepcies. apuitqꝫ ocu/
los ſuos. At ille vocauit iezi: ⁊ dix/
it ei. Voca ſunamitem hāc. Que
vocata: ingreſſa eſt ad eum. Qui
ait. Tolle filiū tuum. Venit illa et
corruit ad pedes eius: ⁊ adorauit
ſuper terram. Tulitqꝫ filiū ſuum
et egreſſa ē. Heliʒeus vero: reuer
ſus eſt in galgala. Graduale.
Reſpice dn̄e in teſtamentū tuū
et aīas pauper̄ tuor̄ ne obliuiſca
ris in finem. ℣. Exurge domine
et iudica cauſam tuā memor eſto
obprobrij ſeruor̄ tuorum.

In illo tp̄e. S. lucam. vij.
Ibat iheſus in ciuitatē que
vocat̄ naym ⁊ ibāt cū illo diſcipu/
li ei⁹ ⁊ turba copioſa. Cū āt appro/
pinquaret porte ciuitatis: ecce de
funct⁹ efferebat̄. fili⁹ vnic⁹ matris
ſue. Et hꝫ vidua erat: ⁊ turba ciui/
tatis. multa cū illa. Quā cū vidiſ/
ſet dn̄s: miſericordia mot⁹ ſup eā.
dixit illi. Noli flere. Et acceſſit: ⁊ te
tigit loculū. Hij autē q portabant
ſteterūt. Et ait. Adoleſcens: tibi di
co ſurge Et reſedit q erat mortu⁹:
et cepit loqui. Et dedit illū matri
ſue. Accepit autē omnes timor: et
magnificabāt deum dicētes. Qa
ꝓpheta magnus ſurrexit in nobis
et quia de⁹ viſitauit plebem ſuā.
Off. Dn̄e ad adiuuandū me fe/
ſtina ꝯfundātur oēs aduerſū me
q cogitāt ſeruo tuo mala Secre.
Purifica nos miſericors de⁹. vt
eccleſie tue p̄ces q tibi grate ſunt
pia munera deferētes: fiāt expia/
tis mentibus graciores. Per.

Domie memorabor iuſti/ Gr.
cie tue ſolius deꝰ docuiſti me a iu/
uentute mea et vſq; in ſenectam ⁊
ſeniū deus ne derelinquas me

Celeſtia dona capi/ Complēda
entibus q̄ſumꝰ dn̄e non ad iudici/
um prouenire paciaris: qđ fideli/
bus tuis ad remediū ꝓuidiſti. P.

Populi tui deus Sup ꝑlm.
inſtitutor et rector peccata quibꝰ
impugnatur expelle: vt ſemꝑ ti/
bi placitus. ⁊ tuo munimine ſit ſe
curꝰ. P. Feria. vi. Introitus.

Meditacio cordis mei in con/
ſpectu tuo ſemꝑ domine ad
iutor meus et redemptor meus.
Ps. Celi enarrāt gloriā dei et o/
pera manuū eius ānūciat firma
mentum. Collecta.

Deus qui ineffabilibꝰ mūdū
renouas ſacramētis. preſta
queſumꝰ: vt eccleſia tua ⁊ eternis
proficiat inſtitutis. ⁊ tēporalibus
nō deſtituať auxilijs. Per dn̄m.

Lectio libri Regū. tercio. xvij.

In diebus illis. Egrotauit fi/
lius mulieris matriſfamili/
as: ⁊ erat languor fortiſſimus ita
vt non remaneret in eo alitꝰ. Dix
it ergo ad helpā. Quid michi et ti/
bi vir dei. Ingreſſus es ad me vt
rememorarētur iniq̄tates mee. ⁊
īterficeres filiū meū: Et ait ad eā
helpas. Da michi filiū tuū. Tulit
q; eū de ſinu illiꝰ. ⁊ portauit i̅ cena
culū vbi ipſe manebat. et poſuit
ſuꝑ lectū ſuū ⁊ clamauit ad dn̄m ⁊
dixit. Dn̄e deus meꝰ: eciā ne vidu
am apud quā ego vtcūq; ſuſtētor
afflixiſti vt interficeres filiū eius
Et expandit ſe. atq; menſus ē ſuꝑ
pueꝝ tribꝰ vicibus clamauitq; ad
dn̄m ⁊ ait Dn̄e deus meus: reuer
tatur oro aīa pueri huiꝰ in viſce/
ra eius. Et exaudiuit dn̄s vocem
helye: ⁊ reuerſa ē aīa pueri intra
eum et reuixit. Tulitq; helyas pu
erū. et depoſuit eū de cenaculo in
inferiorē domū: et tradidit matri
ſue ⁊ ait illi. En viuit filius tuus.
Dixitq; mulier ad helyā. Nunc in
iſto ꝯgnoui qm̄ vir dei es tu: ⁊ ver
bū dn̄i in ore tuo veꝝ ē. Grad.

Bonū eſt cōfidere in dn̄o q̄ʒ confi
dere in hoīe. V. Bonū eſt ſperare
in dn̄o q̄ʒ ſperare in ꝓncipibus.

In il. t. Erat S. Johem. xi.
quidā languēs lazarꝰ a betha/
nia: de caſtello marie ⁊ marthe ſo
roꝝ eius. Maria aūt erat q̄ vnxit
dn̄m vngento. ⁊ extersit pedes eiꝰ
capilľ ſuis: cuiꝰ frať lazarꝰ i̅firma
bať. Miſerunt ergo ſorores eiꝰ ad
eū dicētes. Dn̄e: ecce quē amas in
firmať. Audiēs āt ihs: dixit eis In
firmitas hec nō eſt ad mortē: ſed ꝓ
gloria dei vt glorificeť filiꝰ dei per
eā. Diligebat āt iheſus marthā. ⁊
ſororem eiꝰ mariam. ⁊ lazarū. Vt
ergo audiuit quia infirmabatur

tūc q̄dē mãſit ī eodē loco duobꝰ die
bus. Deīde poſt h̄ dīc diſcipulis ſu
is Eamꝰ in iudeā iteꝝ. Dicūt ei diſ
cipuli. Rabbi. nūc q̄rebāt te lapi/
dare iudei: ⁊ iteꝝ vadis illuc? Reſ/
pōdit iħs. Nōne duodecim ſunt ho
re diei? Si q̄s ambulauerit in die
non offendit: quia lucē huius mū
di videt. Si aūt ambulauerit ī no
cte offendit: quia lux non eſt in eo.
Hec ait: ⁊ poſt hec dicit eis. Lazarꝰ
amicus noſter dormit: ſed vado
vt a ſompno exſuſcitē eum. Dixe/
runt ergo diſcipuli eius. Domīe:
ſi dormit ſaluus erit. Dixerat aūt
iheſus de morte eiꝰ. Illi autē puta
uerūt: quia de dormicōne ſompni
diceret. Tūc ergo dixit eis iheſus
manifeſte. Lazarꝰ mortuus eſt. Et
gaudeo ꝑpter vos vt credatis: q̄m
non eram ibi. Sed eamꝰ ad eum.
Dixit ergo thomas qui dicit̄ dydi
mus: ad cōdiſcipulos Eamꝰ ⁊ nos
⁊ moriamur cū eo. Venit itaq̄ ihe
ſus et inuenit eū quatuor dies iā
in monumento habentem. Erat
aūt bethania iuxta iheroſolymā:
quaſi ſtadijs quīdecim. Multi āt
ex iudeis venerāt ad martham et
mariā: vt cōſolarētur eas de fra/
tre ſuo. Martha ergo vt audiuit
quia iheſus veīt: occurrit illi. Ma
ria autē domi ſedebat. Dixit ergo
martha ad iheſum. Domīe ſi fuiſ
ſes hic: frater meus nō fuiſſ; mor

tuus. Sed ⁊ nūc ſcio: quia q̄cunq̄
popoſceris a deo dabit tibi deꝰ. Di
cit illi iheſus. Reſurget frater tuꝰ.
Dicit ei martha. Scio: quia reſur
get in reſurrectione in nouiſſimo
die. Dicit ei iheſus. Ego ſum re/
ſurrectio et vita. Qui credit ī me:
eciam ſi mortuus fuerit viuet. Et
omnis qui viuit et credit ī me: nō
morietur ineternū. Credis hoc?
Ait illi. Vtiq̄ domīe. Ego credidi:
quia tu es chriſtus filiꝰ dei: qui in
hūc mūdum veniſti. Et cū hec dix
iſſet: abijt et vocauit mariā ſoro/
rem ſuam ſilencio dicens. Magi/
ſter adeſt: ⁊ vocat te. Illa vt audi/
uit: ſurrexit cito. ⁊ venit ad eū. Nō
dum em̄ venerat iheſus in caſtel/
lum. ſed erat adhuc in illo loco vbi
occurrerat ei martha. Iudei igit̄ q̄
erāt cū ea ī domo ⁊ ꝯſolabāt̄ eā cū
vidiſſent mariā q̄ cito ſurrexit et
exijt. ſecuti ſūt eā dicētes. Q̄a vadit
ad monumētū vt ploret ibi. Ma/
ria ḡ cū veniſſ; vbi erat iħs: vidēs
eū cecidit ad pedes eiꝰ ⁊ dixit ei. Do
mīe. ſi fuiſſes h̄: nō eēt mortuꝰ frat̄
meꝰ. Iħs ḡ vt vidit eā plorātē ⁊ iu
deos q̄ venerāt cū ea plorātes: fre
muit ſpū ⁊ turbauit ſemetipm̄ et
dixit. Vbi poſuiſtis eū? Dicunt ei.
Dn̄e: veni et vide. Et lachrymatꝰ
eſt iheſus. Dixerūt ergo iudei. Ec
ce quomodo amabat eū. Quidā
autē ex ipſis dixerūt. Nō poterat

hic q̇ aperuit oculos ceci nati: fa/
cere vt hic nō moreretᷓ. Jheſus er
go rurſum fremēs in ſemetipſo:
venit ad monumētum. Erat aūt
ſpelūca: et lapis ſuppoſitꝰ erat ei.
Ait iheſus. Tollite lapidē. Dicit ei
martha: ſoror eius q̇ mortuꝰ fue/
rat. Dñe iam fetet: quadriduanꝰ
eīn eſt. Dicit ei iheſus. Nonne dixi
tibi qm̄ ſi credideris videbis glori
am dei? Tulerūt ergo lapidē. Jhe
ſus āt eleuatis ſurſum oculis: dix
it. Pater gracias ago tibi: qm̄ au/
diſti me. Ego aūt ſciebā quia ſem
per me audis: ſed ꝓpter populum
qui circūſtat dixi. vt credant quia
tu me miſiſti. Hec cū dixiſſet voce
magna clamauit. Lazare veni fo/
ras. Et ſtatī ꝓdijt qui fuerat mor
tuus. ligatus pedes et manꝰ inſti
tis et facies illius ſudario erat li/
gata. Dicit eis iheſus. ſoluite eū:
et ſinite abire. Multi ergo ex iude
is q̇ venerāt ad mariā. et viderāt
que fecit crediderunt in eū. **Off.**

**P** opulū humilem ſaluū facies
dñe et oculos ſupboꝝ humiliabis
qm̄ quis deus preter te domine.

**M** unera nos dñe q̄s **Secreta**
oblata purificēt. et te nobis iugiᷓ
faciant eſſe placatū. Per. **Cō.**

**V** idēs dñs flentes ſorores lazari
ad monumentū lachrymatꝰ eſt co
ram iudeis ⁊ clamabat: lazare ve
ni foras et prodijt ligatis manibꝰ
et pedibus qui fuerat quadridua
nus mortuus. **Complēda.**

**H** ec nos qm̄s dñe participacio
ſacramēti. ⁊ a ꝓprijs reatibꝰ inde/
ſinenter expediat. ⁊ ab omībꝰ tue/
atur aduerſis. P. **Sup pplm**

**D** a queſumꝰ ops deus: vt qui in
firmitatis noſtre cōſcij de tua vir
tute cōfidimus. ſub tua ſemꝑ pie/
tate gaudeamꝰ. Per dominū.

**S** Icientes ve/ **Sabba. Int.**
nite ad aquas dicit dñs et q̇
non habetis p̄cium venite bibite
cum leticia. **Ps.** Attendite popu
le meus legem meā inclinate au/
rem veſtrā in verba oris mei.

**F** Iat dñe queſumꝰ **Collecta.**
ꝑ graciā tuam fructuoſus
noſtre deuocionis affectus. q꞉ tūc
nobis ꝓderūt ſuſcepta ieiunia. ſi
tue ſint placita pietati. Per.

**Lectio yſaie prophete. xlix.**

**H** Ec dicit dñs deus In tēpore
placito exaudiui te: ⁊ in die
ſalutis auxiliatus ſum tui. Et ſer
uaui te ⁊ dedi te in fedus populi:
vt ſuſcitares terrā. et poſſideres
hereditates diſſipatas. vt diceres
hijs q̇ vincti ſunt exite. ⁊ hijs qui ī
tenebris ſunt reuelamini Super
vias paſcētur: ⁊ in omībꝰ planis
paſchua eoꝝ. Nō eſuriēt neq꞉ ſici/
ent. ⁊ nō ꝑcuciet eos eſtus ⁊ ſol: q꞉
miſerator eoꝝ reget eos. ⁊ ad fon/
tes aquaꝝ potabit eos Et ponam

oṁes mōtes meos in viā et ſemi/te mee exaltabūtur. Ecce iſti delō/ge venient: ⁊ ecce illi ab aq̄lone et mari. ⁊ iſti de terra auſtrali. Lau/date celi et exulta terra: iubilate montes laudē. quia cōſolatus eſt dominꝰ populū ſuū. ⁊ pauperꝫ ſuoꝝ miſerebitur. Et dixit ſyon. De reliquit me dn̄s: et dominꝰ oblitꝰ eſt mei. Nūq̄d obliuiſci poteſt mulier infantē ſuum vt nō miſereat̄ filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit: ego tamē non obliuiſcar tui. Dicit dn̄s oṁipotens. Grad.

Tibi dn̄e derelictus ē paupꝫ pu/pillo tu eris adiutoꝛ. ỽ. Vt quid dn̄e receſſiſti longe deſpicis ī opoꝛtunitatibus in tribulacione dum ſuperbit impius incēdit̄ pauper.

Secūdum Johānem. viij.

In illo tempoꝛe. Dicebat ihe/ſus turbis iudeoꝝ. Ego ſum lux mundi. Qui ſeq̄tur me nō ambulat in tenebris: ſed habebit lu/men vite. Dixerūt ergo ei phari/ſei. Tu de teipſo teſtimoniū perhibes: teſtimoniū tuū nō eſt verum Reſpōdit ihesus: et dixit eis. Et ſi ego teſtimoniū ꝑhibeo de meipſo verꝫ eſt teſtimoniū meum. q2 ſcio vnde veni et quo vado. Vos autē neſcitis vnde venio: aut quo va/do. Vos ſcd̄m carnē iudicat̄: ego nō iudico quemq̄. Et ſi iudico ego iudiciū meū verꝫ ē: q2 ſolꝰ nō ſum. ſed ego ⁊ q̄ miſit me pat̄. Et in lege vr̄a ſcriptū ē: q2 duoꝝ hoīm teſtionium verꝫ ē. Ego ſum q̄ teſtimonium ꝑhibeo de meipſo: ⁊ teſtioniū ꝑhibet de me q̄ miſit me pater Dicebāt ergo ei Vbi ē pater tuꝰ? Reſpondit ihesus Neq2 me ſcitis: neq2 patrē meū. Si me ſciret̄: foꝛſitan et patrē meū ſciretis. Hec v̄ba locutꝰ ē ih̄s in gazophilacio: docens in tēplo. Et nemo appꝛhēdit eum: q2 necdū venerat hoꝛa eiꝰ. Off.

Factꝰ eſt dn̄s firmamētū meū ⁊ refugiū meū et liberatoꝛ meꝰ ſperabo in eum. Secreta.

Oblacionibꝰ q̄s dn̄e placare ſuſ/ceptꝭ. ⁊ ad te nr̄as eciā rebelles cō/pelle ꝓpiciꝰ voluntates. P. Cō.

Dn̄s regit me ⁊ nichil m̄ deerit ī loco paſcue ibi me collocauit ſupꝫ aquā refectionis educauit me.

Tua nos q̄s dn̄e ſcā pu/ Cōplē. rificēt: ⁊ opacīoē ſua ꝑficiāt eē placatos. Per. Super populum.

Deꝰ q̄ ſperātibꝰ in te miſereri potius eligis q̄ȝ iraſci: da nob digne flere mala q̄ fecimꝰ. vt tue ꝯſolacōnis graciam inueīre valeamꝰ. P.

Iudica me Dn̄ca ī paſſiōe. deꝰ ⁊ diſcerne cām meā de gē te nō ſcā ab hoīe iniq̄ ⁊ doloſo eri/pe me q2 tu es deꝰ meꝰ ⁊ foꝛtitudo mea. Ps. Emitte lucē tuā ⁊ veritatē tuā ip̄a me deduxerūt ⁊ adduxerūt in mōtē ſcm̄ tuum. Iudica.

Non dicitur. Gloria patri. uſq; in paſcha. niſi de ſanctis cātetur

Queſum⁹ omīpo/ Collecta. tens deus familiā tuam ꝓpicius reſpice: vt te largiēte regatur in corpore. et te ſeruāte cuſto/diatur in mente. Per dominū.

Ad Hebreos. ix.

Fratres. Chriſtus aſſiſtens pōtifex futuroꝝ bonoꝝ per/amplius et ꝑfectius tabernaculū nō manufactū. id eſt nō hui⁹ creationis. neq; per ſanguinē hircoꝝ. aut vituloꝝ: ſed ꝑ ꝓprium ſangui/nem introiuit ſemel in ſancta. et/na redēpcione inuēta. Si em̄ ſanguis hircoꝝ aut tauroꝝ et cinis vitule aſperſus. inquinatos ſancti/ficat ad emūdacionē carnis. q̄to/magis ſanguis chriſti qui ꝑ ſpiri/tum ſanctū ſemetipſum obtulit i/maculatū deo. emūdabit cōſcien/ciam noſtrā ab operib⁹ mortuis. ad ſeruiendū deo viuenti. Et ideo noui teſtamenti mediator eſt: vt morte intercedente in redēpcionē eaꝝ preuaricacionū. q̄ erāt ſub ꝓori teſtamēto repromiſſionē accipiant qui vocati ſunt eterne hereditatis. In chriſto iheſu dn̄o noſtro.

Grad. Eripe me dn̄e de inimicis meis doce me facere volūtatē tuā. ℣. Liberator meus domie de gentibus iracūdis ab inſurgentib⁹ in me exaltabis me a viro iniquo eripies me. Tract⁹. Sepe expugnauerūt me a iuuētute mea. ℣. Dicat nūc iſrahel ſepe expugna/uerūt me a iuuētute mea. ℣. Etenī nō potuerūt michi ſupra dorſū meū fabricauerūt peccatores. ℣. Prolongauerūt iniq̄tatē ſibi. do/minus iuſtus cōcidet ceruices peccatoꝝ. Scdm Johannē. viij.

In il. tēpore. Dicebat iheſus turbis iudeoꝝ. et principib⁹ ſacerdotū. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico quare vos nō creditis michi? Qui eſt ex deo: verba dei audit. Propterea vos nō auditis: q̄a ex deo non eſtis. Reſpōderūt igit̄ iudei: ⁊ dixerunt ei. Nōne bn̄dicim⁹ nos q̄a ſamaritanus es tu. et demoniū ha/bes? Reſpōdit iheſus ego demonium non habeo: ſed honorifico pa/trem meū. ⁊ vos ihonoraſtis me. Ego aūt nō quero gloriā meā: eſt qui q̄rat et iudicet. Amē amē dico vobis. Si q̄s ſermonē meū ſeruauerit. mortē nō videbit ineternū. Dixerūt ergo iudei. Nūc cognouimus q̱ demoniū habes. Abrahā mortuus eſt et ꝓphete: ⁊ tu dicis ſi q̄s ſermonē meū ſeruauerit. mortem nō guſtabit ineternū? Nūqd tu maior es patre noſtro abrahā qui mortuus ē? Et ꝓphete mortui ſunt. Quē teipſum facis? Reſpondit ih̄s. Si ego glorifico meipſum

gloria mea nichil ē. Eſt pater me⁹ qui glorificat me quē vos dicitis q2 de⁹ noſter ē: et nō cognouiſtis eū. Ego aūt noui eū. Et ſi dixero q2 nō ſcio eum: ero ſimilis vobis mendax. Sed ſcio eū: et ſermonē eius ſeruo Abrahā pater veſter exultauit vt videret diē meū: et vidit et gauiſus eſt. Dixerunt ergo iudei ad eū Quinquagita ānos nondū habes: et abrahā vidiſti? Dixit eis iheſus. Amē amē dico vobis ante q̄3 abrahā fieret ego ſum Tulerūt ergo lapides: vt iacerēt in eū. Iheſus aūt abſcōdit ſe: et exiuit de templo. Offer. Cōfitebor tibi dñe in toto corde meo retribue ſeruo tuo vt viuā: et cuſtodiā ſermones tuos viuifica me ſcdm verbū tuū domine. Secreta.

Hec mūera dñe q̄s et vincula noſtre prauitatis abſoluāt. et tue nobis miſericordie dona cōciliēt. P. Prefacio. Qui ſalutē hūani generis. Vſq3 in cenam dñi. Cō.

Hoc corp⁹ qd̄ pro vobis tradet̄ h calix noui teſtamēti eſt ī meo ſanguine dicit dñs hoc facite quociēſcūq3 ſumitis in meā ɔmemoracionem. Complenda.

Adeſto nobis dñe deus noſter. et quos tuis myſterijs recreaſti: perpetuis defende preſidijs. Per.

Miſerere Feria. iij. Introit⁹. michi dñe qm̄ ɔculcauit me hō tota die bellans tribulauit me Ps. Cōculcauerūt me inimici mei tota die qm̄ multi bellātes aduſū me. Miſerere. Collecta.

Sāctifica q̄s dñe nr̄a ieiunia. et cūctar3 nob ꝓpici⁹ indulgēciā largire culpar3. P. Lcō ione ꝓphete. iij.

In dieb⁹ ill. Factū eſt verbū dñi ad ionā ꝓphetā ſecūdo dicēs. Surge et vade ī niniuen ciuitatē magnā: et p̄dica in ea p̄dicacionē quā ego loq̄r ad te. Et ſurrexit ionas: et abijt ī niniuē iuxta verbū dñi. Et niniue erat ciuitas magna: itinere die3 triū Et cepit ionas itroire ī ciuitatē itinere diei vni⁹ et clamauit et dixit. Adhuc q̄draginta dies: et niniue ſubuertet̄. Et crediderūt viri niniuite in dño: et p̄dicauerūt ieiuniū. et veſti ti ſunt ſaccis a maiore vſq3 ad minorem. Et puenit verbū ad regē niniue. Et ſurrexit de ſolio ſuo. et abiecit veſtimētum ſuū a ſe. et indutus eſt ſacco et ſedit in cinere: et clamauit et dixit. in niniue ex ore regis et p̄ncipū eius dicēs. Hoīes et iumēta. et boues et pecora non guſtent quicq̄3 nec paſcātur: et aquā nō bibant. Et operiātur ſaccis homines. et iumēta clamēt ad deū in fortitudine: et ɔūtat̄ vir de via ſua mala. et ab iniq̄tate q̄ ē in manib⁹ eor3. Quis ſcit ſi cōuertatur et ignoſcat de⁹. et reuertatur a furore

ire ſue. et nō ꝑibimus? Et vidit de
us opera eoꝝ. q꞉ conuerſi ſunt de
via ſua mala: ⁊ miſertus ē popu/
lo ſuo: dn̄s deus noſter. Grad.
Deus exaudi orōnem meā auri
bus ꝑcipe verba oris mei. De
us in noīe tuo ſaluū me fac ⁊ i vir
tute tua iudica me. S Johēz.vij.
In illo tp̄e. Miſerūt p̄ncipes
et phariſei miniſtros: vt ap/
prehenderent iheſum. Dixit ergo
iheſus Adhuc modicū tp̄s vobiſcū
ſum: ⁊ vado ad eum qui miſit me
Queretis me: ⁊ nō inuenietis. Et
vbi ſum ego: vos nō poteſtis ve/
nire. Dixerūt ergo iudei ad ſemet
ipſos. Quo hic iturus eſt: q꞉ nō in
ueniem⁹ eum? Nūqd in diſꝑſionē
genciū iturus ē. et docturus gen-
tes? Quis ē hic ſermo quē dixit. q̄
retis me: et non inuenietis. ⁊ vbi
ſum ego vos nō poteſtis venire?
In nouiſſimo aūt die magne feſti
uitatis: ſtabat iheſus ⁊ clamabat
dicens Si quis ſitit: veniat ad me
et bibat. Qui credit in me ſicut dt̄
ſcriptura: flumina de vētre eius
fluent aque viue. Hoc aūt dixit de
ſpiritu: quē accepturi erāt: credē/
tes in eū. Offer. Dn̄e cōuertere
et eripe aīam meam ſaluū me fac
ꝓpter miſericordiā tuā. Secreta.
Concede nobis dn̄e deus noſter:
vt hec hoſtia ſalutaris et noſtroꝝ
fiat purgacō delictoꝝ. ⁊ tue ꝓpicia
cio maieſtatis. Per. Co. Dn̄s
virtutū ipſe ē rex glorie. Cōplen.
Sacramēti tui qs̄ dn̄e partici
pacio ſalutaris. ⁊ purificacionē no
bis p̄beat et medelam. Per dn̄m.
Da qs̄ dn̄e ꝑplo Supꝑplin.
tuo ſalutem mētis et corporis: vt
bonis oꝑibus inherēdo. tua ſem/
per mereat̄ ꝓtectione defendi. P.

Feria tercia Introitus.

Expecta dn̄m viriliter age et
cōfortetur cor tuū et ſuſtine
dominū. Ps. Dn̄s illuminacio
mea ⁊ ſal⁹ mea quē timebo Expe.
Noſtra tibi qs̄ dn̄e Collecta
ſint accepta ieiunia q̄ nos ⁊
expiando grā tua dignos efficiāt
et ad remedia ꝑducāt eterna. P.

Lectio Danielis ꝓphete. vltimo.

In diebus illis. Congregati
ſunt babilonij ad regem: et
dixerūt ei. Trade nobis danielem
q̄ bel deſtruxit. ⁊ draconē interfe/
cit. Alioqn interficiem⁹ te: ⁊ domū
tuā. Vidit ergo rex ꝙ irruerūt in
eū vehemēter: ⁊ neceſſitate cōpul
ſus tradidit eis danielē. Qui mi/
ſerunt eū in lacū leonū: ⁊ erat ibi
ſex dieb⁹. Porro in lacu erant leo/
nes ſeptē: ⁊ dabātur eis quotidie
duo corꝑa et due oues. Et tūc non
data ſunt eis. vt deuorarēt danie/
lem. Erat abacuc ꝓpha in iudea:
et ipſe coxerat pulmentū et intri/
uerat panes in alueolo. et ibat in

campū vt ferret meſſoꝛibꝰ. Dixit
qꝫ angelꝰ dñi ad abacuc. Fer pꝛan
diū qđ habes in babylonē danieli
qui ē in lacu leonum. Et dixit aba
cuc. Dñe babylonē nō vidi: ⁊ lacū
neſcio. Et apprehēdit eū angelus
dñi in vertice eiꝰ: ⁊ poꝛtauit eū ca
pillo capitis ſui. poſuitqꝫ eū in ba
bylonē ſup lacū in īpetu ſpiritus
ſui. Et clamauit abacuc dicēs Da
niel ſerue dei: tolle pꝛandium qđ
miſit tibi deꝰ. Et ait daniel. Recoꝛ
datus eñ es mei dñe deus meꝰ: et
non dereliquiſti diligētes te. Sur
gēsqꝫ daniel comedit. Poꝛro āge/
lus dñi reſtituit abacuc confeſtim
in locū ſuū. Venit ergo rex die ſep
tima: vt lugeret danielē. Et venit
ad lacū ⁊ introſpexit: ⁊ ecce daniel
ſedēs in medio leonū. Et exclama
uit rex voce magna dicens. Mag
nus es dñe deus danielis. Et ex/
traxit eū de lacu. Illos āt qui pdi/
tionis eius cauſa fuerāt. intromi
ſit in lacū: ⁊ deuoꝛati ſunt in mo-
mento corā eo. Tūc rex ait. Paue-
ant habitantes in vniuerſa terra
deū danielis: qꝛ ipſe ē liberatoꝛ et
ſaluatoꝛ faciēs ſigna ⁊ mirabilia
in celo et in terra. Qui liberauit
danielem de lacu leonū. Grad.
Diſcerne cauſam meam dñe ab
hoīe iniquo et doloſo eripe me. ṽ.
Emitte lucē tuā ⁊ veritatē tuam
ipſa me deduxerūt et adduxerunt
in montē ſcm̄ tuū. S Joħez. vij.
In illo tpe. Ambulabat ihs i
galileā. Nō em̄ volebat in iu
deam ābulare: qꝛ q̄rebāt eū iudei
interficere. Erat āt in pꝛimo dies
feſtus iudeoꝝ ſcenopheia. Dixerūt
aūt ad eū frēs eius. Trāſi hinc et
vade in iudeā: vt ⁊ diſcipuli tui vi
deāt opa tua q̄ facis. Nemo quip/
pe in occulto aliq̄d facit: ⁊ q̄rit ipe
in palā eē. Si h̄ facis: manifeſtas
teipſum mūdo Neqꝫ em̄ frēs eius
credebāt in eū. Dixit ergo eis ihs.
Tempꝰ meū nōdum aduenit: tē/
pus āt veſtꝝ ſemp ē paratū. Non
poteſt mundꝰ odiſſe vos. Me aūt
odit: qꝛ ego teſtimoniū phibeo de
illo. quia opa eiꝰ mala ſunt. Vos
aſcēdite ad diē feſtū hunc: ego aūt
nō aſcendā ad diē feſtū iſtū. qꝛ tps
meū nōdum impletū ē. Hec cum
dixiſſet: ipſe manſit in galilea. Vt
aūt aſcēderunt frēs eius: tūc ⁊ ip
ſe aſcēdit ad diē feſtum non mani
feſte. ſed quaſi in occulto. Judei er
go q̄rebāt eū in die feſto: ⁊ dicebāt
Vbi eſt ille? Et murmur multꝰ de
eo erat in turba Quidā ei dicebāt
quia bonus ē: alij āt dicebant nō.
ſed ſeducit turbas. Nemo tñ palā
loquebat de illo; pꝑter metū iude/
orum. Off. Sperēt in te oēs q̄
nouerūt nomē tuū dñe qm̄ nō de/
relinquis querētes te pſallite do/
mino qui habitat in ſyon qm̄ non

eſt oblitus orōnem pauperum
H oſtias tibi dñe defe- Secreta
rimus imolandas. q̄ nobis tꝑalē
conſolacionē ſignificēt vt ꝓmiſſa
cercius nō deſperem⁹ eterna. P.
Cō. R edime me deus iſrahel ex
oib⁹ anguſtijs meis. Cōplenda
D a q̄s oēs de⁹. vt que diuīa ſunt
iugiter exequētes. donis merea-
mur celeſtib⁹ ꝓpinquare. Per.
D a nobis q̄s dñe ꝑ Sup ꝑplm.
ſeuerātem in tua volūtate famu-
latum: vt in dieb⁹ noſtris et meri
to et numero ꝑpl's tibi ſeruiēs au-
geat. P. Feria. iiij. Introitus.
Liberator meus de gētibus
iracundis ab inſurgētibus
in me exaltabis me a viro iniquo
eripies me dñe. Ps. Diligam te
dñe virt⁹ mea dñs firmamētum
meū ꝛ refugiū meū. L iberator
S anctificato hoc Collecta.
ieiunio de⁹ tuoꝝ corda fideli
um miſerator illuſtra. ꝛ q̄bus de-
uocionis p̄ſtas affectū. p̄be ſuppli
cātibus piū benign⁹ auditū. Per
Lectio libri leuitici. xix.
I N dieb⁹ illis. Locut⁹ ē dñs ad
moyſen dicēs. Ego ſum dñs
de⁹ veſter. Nō facietis furtū. non
mēciemini: nec decipiat vnuſq̄ſq
ꝓximū ſuū. Nō piurabis in nomi
ne meo: nec pollues nomē dei tui
Ego dñs. Nō facies calūpniā ꝓxi
mo tuo. nec vi opprimes eū. Non
morabitur opus mercēnarij tui
apud te: vſq mane Nō maledices
ſurdo. nec corā ceco pones offendi
culū: ſed timebis dñm deū tuum:
quia ego ſum dñs. Non facies q̄d
iniquū eſt: nec iniuſte iudicabis.
Nec cōſideres pſonā paupis: nec
honores vultū potētis. Iuſte iudi
ca ꝓximo tuo. Non eris crimina-
tor: nec ſuſurro in populis. Non
ſtabis contra ſanguinē proximi
tui. Ego dñs. Nō oderis fratrē tu
um i corde tuo: ſed publice argue
eū: ne habeas ſup illo peccatum.
Nō queres vlcōnē nec memor er⁹
iniurie ciuiū tuoꝝ. Diliges proxi
mū tuū ſicut teipſum. Ego dñs le
ges meas cuſtodite. Ego em̄ ſum
domin⁹ deus veſter. Gradua.
E xaltabo te domie q̄m ſuſcepiſti
me nec delectaſti inimicos meos ſu
per me. V. Dñe d̄s me⁹ clamaui
ad te et ſanaſti me dñe abſtraxiſti
ab inferis aīam meā ſaluaſti me
a deſcēdētib⁹ in lacū. S Iohez. x.
I N il. t. Fcā ſūt encenia i ihero
ſolymis: ꝛ hyemps erat. Et
āmbulabat ihs i tēplo: in porticu ſa
lomōis. Circūdederūt ergo eū iu-
dei: ꝛ dicebant ei. Quouſq aīam
nr̄am tollis? Si tu es chriſtus: dic
nob palam Rndit eis ihs. Loquor
vobis: ꝛ nō creditis. Opa que ego
facio in noīe patris mei: hec teſti-
moniū phibent de me. Sed vos

non creditis: q̄ꝛ nō eſtis ex ouibus meis. Oues mee vocē meam audiūt: ⁊ ego cognoſco eas. ⁊ ſequūtur me. Et ego vitā eternā do eis. et nō peribūt ineternū: ⁊ nō rapiet eas q̄ſq̄ꝫ de manu mea. Pať meus q̄d dedit michi maius ē oībus: et nemo pōt rape de manu patꝛ mei. Ego ⁊ pať vnū ſum⁹. Suſtulerunt ergo lapides iudei: vt lapidarēt eū. Rñdit eis ih̄s. Multa opera bona oſtendi vobis ex patre meo: ꝓpť q̄d eoꝝ op⁹ me lapidatis? Reſpōderūt ei iudei De bono opere nō lapidam⁹ te: ſed de blaſphemia. Et q̄ꝛ tu hō cum ſis: facis teipſum deū. Reſpōdit eis iheſus. Nō ne ſcriptū eſt in lege veſtra. q̄ꝛ ego dixi dij eſtis? Si illos dixit deos ad quos ſermo dei factus eſt. ⁊ nō p̄t ſolui ſcriptura: quē pater ſanctificauit ⁊ miſit in mundū. vos dicitꝭ quia blaſphemas. quia dixi filius dei ſum? Si nō facio opera patris mei nolite credere michi. Si autē facio: et ſi michi non vultis credere. operibus credite. Vt cognoſcatis et credatis. q̄ꝛ in me ē pater et ego in patre. Offer. Eripe me de inimicis meis deus meus. ⁊ ab inſurgētibus i me libera me dñe. Annue miſericoꝛs Secreta. deus. vt hoſtias placacionis ⁊ laudis. ſincero tibi deferamus obſequio. Per dominū noſtrū.

Lauabo inter innocētes Cō. manus meas et circūdabo altare tuū domīe vt audiam vocem laudis tue et enarrē vniuerſa mirabilia tua. Complenda.

Celeſtis doni benedictione ꝑcepta: ſupplices te deus oīpotēs deprecamur: vt idem hoc nobis ⁊ ſacramenti cauſa ſit et ſalutis. Per.

Adeſto ſupplicacioni Sup ꝑplm bus noſtris oīpotēs de⁹. ⁊ q̄bus fiduciā ſperāde pietatis īdulges: cōſuete miſericoꝛdie tribue benignus effectū. P. Feria. v. Introit⁹

Omnia que feciſti nobis dñe in vero iudicio feciſti q̄ꝛ peccauim⁹ tibi ⁊ mādatis tuis nō obediuimus ſed da gloꝛiā noī tuo ⁊ fac nobiſcū ſcd̄m multitudinē miſericoꝛdie tue. Ps. Beati imaculati in via q̄ ambulāt in lege dñi.

Preſta q̄s oꝑs de⁹: Collecta. vt dignitas condicionis humane ꝑ imoderāciā ſauciata. medicinalis ꝑſimonie ſtudio refoꝛmetꝝ P. Lectio Danielis ꝓphete. iij.

In dieb⁹ illis. Orauit daniel ad dn̄m dicēs. Dn̄e deus ne deſpicias ꝑplm tuū. neq̄ꝫ auferas miſericoꝛdiā tuā a nobis, ꝓpť abꝛahā dilectū tuū. ⁊ ꝑ yſaac ſeruū tuū ⁊ iſrl' ſcm̄ tuū: q̄b⁹ locut⁹ es pollicēs q̄ multiplicares ſemē eoꝝ ſicꝫ ſtellas celi. et ſicꝫ arenā q̄ eſt in littoꝛe marꝭ. Qa dñe iminuti ſum⁹ plus

q̄ꝫ oēs gētes: ſumuſqꝫ hūiles ī uni
uerſa ṫra hodie ꝓpt̄ pctā nr̄a Et nō
eſt in tꝑe h̄ ꝑnceps et ꝓpħa et dux:
neqꝫ holocauſtū. neqꝫ ſacrificium
neqꝫ oblacio. neqꝫ incēſū. neqꝫ locꝰ
ꝑmiciaꝝ corā te ē. vt poſſimꝰ inue
nire miſericordiā. ſꝫ in aīo ɔtrito ⁊
ſpū hūilitatis ſuſcipiamur Sicut
in holocauſto arietū ⁊ tauroꝝ ⁊ ſi
cut in milibꝰ agnoꝝ pinguiū. ſic fi
at ſacrificiū nr̄m in conſpectu tuo
hodie: vt placeat tibi: q̄m nō eſt cō
fuſio ɔfidētibꝰ in te. Et nūc ſequi/
mur ī toto corde ⁊ timemꝰ te ⁊ q̄ri
mus faciē tuā dn̄e Ne confundas
nos: ſꝫ fac nobiſcū iuxta māſuetu/
dinē tuā ⁊ ſcd̄m multitudinē miſe
ricordie tue. Et erue nos ī mirabi
libꝰ tuis: et da gl̄am noī tuo dn̄e.
Et ɔfundātur oēs: q̄ oſtēdūt ſuis
tuis mala Cōfundāt̄ in oī potēcia
ſua ⁊ robur eoꝝ ɔterat̄. Et ſciāt qꝫ
tu es dn̄s deꝰ ſolꝰ: ⁊ glorioſus ſup̱
oēm ṫrā. Dn̄e deꝰ noſter. Gra.

T ollite hoſtias ⁊ itroite in atria
eiꝰ adorate dn̄m ī aula ſcā eius v̄.
Reuelauit dn̄s condēſa ⁊ in tēplo
eiꝰ oēs dicēt gl̄am S lucā. vij.

I N il. tē. Rogabat iħm q̄dam
phariſeus: vt māducaret cū
illo. Et ingreſſus domū phariſei:
diſcubuit. Et ecce mulier q̄ erat in
ciuitate peccatrix: vt cognouit qꝫ
accubuiſſet ī domo phariſei attu-
lit alabaſtꝝ vngēti. ⁊ ſtās retro ſe
cus pedes eiꝰ. lachrymis cepit ri/
gare pedes eiꝰ: ⁊ capillis capitꝭ ſui
tergebat. et oſculabat̄ pedes eius
et vnguēto vngebat. Vidēs autē
phariſeus q̄ vocauerat eū ait itra
ſe dicēs. Hic ſi eēt ꝓpħa: ſciret vtiqꝫ
q̄ et q̄lis eēt mulier q̄ tangit eū. qꝫ
peccatrix ē. Et rn̄dēs iħs dixit ad
illū. Simon: habeo tibi aliq̄d dice
re. At ille ait. Magiſter dic. Duo
debitores erant cuidā feneratori:
vnꝰ debebat denarios q̄ngētos ⁊
alius q̄nquagīta. Nō hn̄tibꝰ illis
vnde redderēt: donauitqꝫ vtriſqꝫ.
Quis ergo eū plꝰ diligit? Et reſpō
dens ſymon dixit. Eſtimo: quia is
cui plꝰ donauit. At ille dixit ei. Rec
te iudicaſti. Et ɔuerſus ad mulie/
rē: dixit ſymoni. Vides hāc mulie
rē? Intraui ī domū tuā: aquā pe/
dibꝰ meis nō dediſti Hec āt: lachry
mis rigauit pedes meos: ⁊ capilꝰ
ſuis terſit Oſculū michi nō dediſti
Hec āt ex q̄ intrauit: nō ceſſauit oſ
culari pedes meos. Oleo caput
meū nō vnxiſti: h̄ āt vnguēto vnx
it pedes meos. Propt̄ qd̄ dico tibi
Remittūtur ei pctā multa: q̄m di/
lexit multum. Cui autem minꝰ di
mittitur: minus diligit. Dixit aūt
ad illam iheſus. Remittūtur tibi
peccata Et ceperūt q̄dā q̄ ſimul diſ
cūbebant dicere intra ſe. Quis ē
hic q̄ eciam peccata dimittit? Dix/
it autem ad mulierem. Fides tua

te ſaluā fecit: vade ī pace. Offer.
S up flumina babylonis illic ſedi
mus et fleuim⁹ dū recordaremur
tui ſyon. Secreta
D ñe de⁹ nr̄ q̄ in hijs poci⁹ creatu
ris q̄s ad fragilitatis nr̄e ſubſidiū
condidiſti. tuo quoqꝫ noī munera
iuſſiſti dicāda ꝯſtitui tribue q̄s: vt
et vite nob̄ p̄ñtis auxiliū. ⁊ eterni
tatis efficiāt ſacramētū. P. Cō.
M emēto verbi tui ſeruo tuo dñe
in q̄ michi ſpē dediſti h̄ me ꝯſolata
eſt ī hūilitate mea. Cōplenda.
Q uod ore ſūpſim⁹ dñe pura mē
te capiam⁹: et de mūere tp̄ali fiat
nobis remediū ſempiternū. Per.
E ſto q̄s dñe ꝓpici⁹ Sup ꝓplm.
plebi tue. vt q̄ tibi nō placēt reſpu
ens: tuoꝝ pocius repleat̄ delecta
cionib⁹ mādatoꝝ. P. Fe. vi. Jnt̄.
M Jſerere michi dñe qm̄ tribu
lor: libera me et eripe me de
manib⁹ īımicoꝝ meoꝝ ⁊ a pſequē
tibus me dñe nō ꝯfundar qm̄ īuo
caui te. Ps. Jn te dñe ſpaui nō cō
fundar ineternū in iuſticia tua li/
bera me. Collecta.
C ordib⁹ nr̄is q̄s dñe grām tu/
am benign⁹ infunde: vt pec
cata nr̄a caſtigacione voluntaria
cohibentes tp̄alit̄ pocius macere
mur: q̄ ſupplicijs deputemur et/
nis. P. Lcō iheremie ꝓphe. xvij.
I N dieb⁹ illis. Dixit iheremi
as. Dñe: oēs q̄ te dereliquūt
cōfundētur. Recedētes a te in tra
ſcribētur: qm̄ dereliq̄rūt venā aq̄
rū viuēciū dñm. Sana me dñe et
ſanabor. ſaluū me fac ⁊ ſalu⁹ ero:
qm̄ laus mea tu es. Ecce ipſi dicūt
ad me. Vbi ē verbū dñi: Veniat.
Et ego nō ſū turbat⁹ te paſtorē ſe/
quēs: ⁊ diē hoīs nō deſideraui tu
ſcis. Qđ egreſſum ē de labijs me
is: rectū in ꝯſpectu tuo fuit. Nō ſis
michi tu formidini: ſpes mea tu ī
die afflictiōis. Cōfundāt̄ q̄ pſequū
tur me: ⁊ nō ꝯfundar ego. Paue/
ant illi: ⁊ nō paueā ego. Jnduc ſup
eos diē afflictionis ⁊ duplici cōtri
cione ꝯtere eos dñe de⁹ nr̄. Gra.
P acifice loq̄bātur michi īımici
mei ⁊ ī ira moleſti erāt michi. ℣.
Vidiſti dñe ne ſileas ne diſcedas a
me. Scđm Johannē. xi.
I N il. t. Collegerūt pōtifices ⁊
pharisei ꝯſiliū adūſus ihm.
et dicebāt. Qđ facim⁹: q̄ꝛ h̄ hō mul
ta ſigna facit: Si dimittim⁹ eū ſic
oēs credēt in eū. Et veniēt roma/
ni: ⁊ tollēt nr̄m locū ⁊ gentē. Vn⁹
aūt ex ipſis: cayphas noīe cū eſſet
pōtifex anni illi⁹ dixit eis. Vos neſ
citis q̄cq̄ꝫ nec cogitatis: q̄ꝛ expedit
vob̄. vt vn⁹ moriat̄ hō ꝓ ꝓplo. ⁊ nō
tota gēs peat. Hoc āt a ſemetipſo
nō dixit: ſ; cū eēt pōtifex anni illi⁹.
ꝓphetauit q̄ꝛ ih̄s moriturꝰ erat ꝓ
gēte: ⁊ nō tm̄ ꝓ gēte. ſ; vt filios dei
qui erāt diſpſi ꝯgregaret in vnū.

Ab illo ergo die: cogitauerunt vt
interficerēt eū. Jhs ergo iā nō in
palā ābulabat apud iudeos: ſed
abijt i regionē iuxta deſertū i ciui
tatē q̄ dr̄ effrem Et ibi moꝛabat̄ cū
diſcipulis ſuis. Off. Bn̄dictꝰ es
dn̄e doce me iuſtificaciones tuas
et nō tradas me calūpniātibꝰ me
ſupbis ⁊ reſpōdebo exprobrātibꝰ
michi verbum. Secreta.
Preſta nobis miſericoꝛs deꝰ. vt
digne tuis altaribꝰ ſeruire ſp̄ me
reamur. ⁊ eoꝝ ꝑpetua ꝑticipacio
ne ſaluari. P. Cō. Ne tradiderꝭ
me dn̄e in aīas ꝑſequenciū me q̄a
inſurrexerūt i me teſtes iniqui et
mētita ē iniquitas ſibi. Cōplēda.
Sūpti ſacrificij dn̄e ꝑpetua nos
tuicio nō dereliquat: et noxia ſp̄ a
nob̄ cūcta depellat. P. Sup pplm.
Cōcede q̄s ōps deꝰ: vt qui ꝓtecti/
onis tue grām q̄rimus. liberati a
malis oībus ſecura tibi mēte ſer/
uiamꝰ. P. In vigilia palmaꝝ.
Miſerere michi dn̄e qm̄. Totū vt
ſupꝛa i fe. vi. p̄cedēte. li. Collec.
Proficiat q̄s dn̄e plebs tibi di
cata pie deuocionis affectu
vt ſacris actionibus erudita q̄ꝫto
maieſtati tue ſit gracioꝛ. tanto do
nis potioꝛibꝰ augeat̄. P. Jrõ za-
Hec dīt dn̄s charie pphe. ix.
deꝰ. Exulta ſatis filia ſyon:
iubila filia ihꝛlm Ecce rex tuꝰ veit
tibi. iuſtꝰ ⁊ ſaluatoꝛ: ipſe pauper ⁊
aſcēdēs ſup aſinā. ⁊ ſup pullū fili/
um aſine. Et diſꝑgā quadrigā ex
effraym. et equū de ihꝛlm: et diſſi-
pabit̄ arcꝰ belli. Et loquet̄ pacē gē
tibꝰ. et poteſtas eiꝰ a mari vſqꝫ ad
mare: ⁊ a fluminibus vſqꝫ ad fines
t̄re. Tu q̄qꝫ in ſanguie teſtamenti
tui: emiſiſti vinctos tuos de lacu i
quo nō erat aq̄. Cōuertimi ad mu
nicionē vincti ſpei: hodie q̄ꝫ ānun
ciās duplicia reddā tibi. Qm̄ extē
dā michi iudā q̄ſi arcum: ipleui ef
fraym. Et ſuſcitabo filios tuos ſy
on ſup filios tuos grecia Et ponā
te q̄ſi gladiū fortiū: et dn̄s deꝰ ſup
eos videbit̄. ⁊ exibit vt fulgur iacu
lū eiꝰ ⁊ dn̄s deꝰ in tuba canet. ⁊ va
det i turbie auſtri. Dn̄s exercituū
ꝓteget eos. Et deuoꝛabūt ⁊ ſubij/
ciēt eos lapidibꝰ funde: ⁊ bibētes
inebriabūt̄ q̄ſi a vino. ⁊ replebun
tur vt phiale. ⁊ q̄ſi coꝛnua altaris
Et ſaluabit eos: dn̄s deus eoꝝ.
Eꝑl'.t. Sub S Johem. xvij.
Eleuatꝭ ihs oculis i celū dixit.
Pat̄ venit hoꝛa: clarifica filiū tuū
vt filiꝰ tuus clarificet te. Sicꝭ dedi
ſti ei ꝑtātē oīs carnis. vt oē qd̄ de-
diſti ei. det eis vitā et̄nā. Hec ē aūt
vita et̄na. vt ↄgnoſcāt te ſolū veꝝ
deū. ⁊ quē miſiſti ihm chꝛiſtū Ego
te clarificaui ſup terrā: opꝰ ↄſum
maui qd̄ dediſti michi vt faciā. Et
nūc clarifica me tu p̄r apd̄ temet/
ipſum: claritate quā habui p̄uſq̄

mūdus eēt apud te. Manifeſtaui
nomē tuū hoīb⁹: q̊s dediſti michi
de mūdo. Tui erāt ⁊ michi eos de/
diſti: ⁊ ſermonē tuū ſeruauerunt
Nūc āt ꝯgnouerūt. ꝙ oīa q̄ dediſti
michi abs te ſūt: ꝙ verba q̄ dediſti
michi dedi eis. Et ipſi acceperūt ⁊
ꝯgnouerūt vere ꝙ a te exiui: ⁊ cre
diderūt ꝙ tu me miſiſti. Ego ꝓ eis
rogo nō ꝓ mūdo rogo: ſꝫ ꝓ hijs q̊s
dediſti michi ꝙ tui ſūt. Et mea oīa
tua ſūt. ⁊ tua mea ſūt ⁊ clarificat⁹
ſum in eis. Et iā nō ſū in mūdo. et
hij in mūdo ſūt ⁊ ego ad te venio.
Pater ſctē ſerua eos in noīe tuo
q̊s dediſti michi: vt ſint vnū ſicꝫ et
nos. Cū eſſem cū eis: ego ſeruabā
eos ī noīe tuo Quos dediſti michi
cuſtodiui: ⁊ nemo ex hijs perijt ni
ſi fili⁹ ꝑdicionis. vt ſcriptura iple/
atur. Nūc aūt ad te venio. Et hꝫ lo/
quor in mūdo vt habeant gaudiū
meū impletū in ſemetipſis Ego de
di eis ſermonē tuū: ⁊ mūdus eos
odio habuit. ꝙ nō ſūt de mūdo. ſicꝫ
et ego nō ſū de mūdo. Nō rogo vt
tollas eos de mūdo: ſed vt ſerues
eos a malo. De mūdo nō ſūt ſicut
et ego nō ſum de mūdo. Sāctifica
eos in veritate. Sermo tu⁹ veri/
tas ē Sicut tu me miſiſti in mūdū
et ego miſi eos in mūdū. Et ꝓ eis
ego ſanctifico meipm̄. vt ſint ⁊ ipſi
ſanctificati in veritate. Nō ꝓ hijs
aūt rogo tantū. ſed ⁊ ꝓ eis q̄ credi

turi ſūt ꝑ verbū eoꝝ in me. vt oēs
vnū ſint: ſicꝫ tu pater in me et ego
in te vt ⁊ ipſi in nobis vnum ſint.
vt mūdus credat quia tu me mi-
ſiſti Et ego claritatem quā dediſti
michi dedi eis: vt ſint vnū ſicut et
nos vnū ſum⁹. Ego in eis et tu in
me: vt ſint ꝯſummati in vnum: ⁊
cognoſcat mund⁹ quia tu me mi-
ſiſti: ⁊ dilexiſti eos. ſicut ⁊ me dilex
iſti. Pater quos dediſti michi: vo/
lo vt vbi ego ſum. et illi ſint mecū:
vt videāt claritatē meā quā dedi/
ſti michi quia dilexiſti me añ cōſti/
tucionē mundi. Pat̃ iuſte ⁊ mun/
dus te nō ꝯgnouit: ego āt te ꝯgno
ui Et hij ꝯgnouerūt: quia tu me mi
ſiſti. Et notum feci eis nomē tuū.
et notum faciā: vt dilectio q̄ dilexi
ſti me in ipſis ſit: ⁊ ego in ipſis.

A cunctis nos q̄s dn̄e Secreta. reatib⁹ ⁊ ꝑiculis ꝓpiciat⁹ abſolue. q̊s tāti myſterij tribuis eſſe ꝑtici/

D iuini mu Cōplēda. (pes. P. neris largitate ſaciati q̄s dn̄e de⁹ noſter. vt hui⁹ ſꝑ ꝑticipacione vi- uamus. Per. Sup pplm̄.

T ueat̃ q̄s dn̄e dextera tua pplm̄ depcantē ⁊ purificatum dignanẽ erudiat. vt ꝯſolacione preſenti ad futura dona proficiat. Per dn̄m.



Benedictionem ... folio. lxiij.

Domine In dñica pal. Inf.
Ne longe facias auxiliũ tuũ
a me ad defenſionẽ meã aſpice li/
bera me de ore leonis et a cornibꝰ
vnicorniũ hũilitatẽ meã Põ. De
us deꝰ meus reſpice in me q̃re me
dereliquiſti lõge a ſalute mea ver
ba delictoꝝ meoꝝ. Domine ne

Omnipotẽs ſempi/ Collecta.
terne deꝰ q̇ humano gene/
ri ad imitãdũ hũilitatis exẽplum
ſaluatorẽ nr̃m carnẽ ſumẽ et cru/
cẽ ſubire feciſti ꝯcede ꝓpicius: vt ⁊
paciẽcie ipſius habere documẽta
et reſurrectionis cõſorcia merea/
mur. P eundem.

Ad philippẽſes. ij.

Fr̃es. Hoc ſentite in vob: qḋ
et in chriſto iheſu. Qui cũ in
forma dei eẽt: nõ rapinã arbitra/
tus ẽ eſſe ſe eq̃lẽ deo: ſed ſemetip/
ſum exinaniuit formã ſerui acci/
piens. In ſimilitudinẽ hoĩm factꝰ
⁊ habitu inuẽtus vt hõ. hũiliauit
ſemetipſum factꝰ obediẽs vſq; ad
mortẽ: mortẽ ãt crucis. Propẽ qḋ
et deꝰ exaltauit illũ. ⁊ donauit illi
nomẽ qḋ ẽ ſup oẽ nomẽ. vt i noĩe
iheſu oẽ genu flectat celeſtiũ ter/
reſtriũ et infernoꝝ. Et oĩs lingua
cõfiteat q; dñs ihs chriſtus in glo/
ria ẽ dei patris. Gra. Tenu/
iſti manũ dexterã meã in volũta/
te tua deduxiſti me ⁊ cũ glĩa aſſũp/
ſiſti me. ṽ. Quã bonꝰ iſrl̃ deꝰ rec/
tis corde. mei ãt pene moti ſũt pe/
des pene effuſi ſũt greſſus mei q;
zelaui in peccatoribꝰ pacẽ peccato
rum videns. Tractus.

Deus deꝰ meus reſpice i me
q̃re me dereliquiſti Lon/
ge a ſalute mea ṽba delictoꝝ meo
rũ. Deus meus clamabo ꝑ diẽ
nec exaudies ⁊ nocte et nõ ad inſi/
piẽciã michi ṽ. Tu ãt i ſancto ha/
bitas laus iſrahel. ṽ. In te ſpera
uerũt pr̃es nr̃i ſꝑauerũt ⁊ libera/
ſti eos. ṽ. Ad te clamauerũt ⁊ ſal/
ui facti ſunt in te ſꝑauerũt et non
ſũt ꝯfuſi ṽ. Ego ãt ſũ ṽmis et nõ
hõ. obprobriũ hoĩm ⁊ abiectio ple
bis ṽ. Oẽs qui videbãt me aſper
nabãtur me. locuti ſũt labijs ⁊ mo
uerũt caput. ṽ. Sperauit in dño
eripiat eũ ſaluũ faciat eũ qm̃ vult
eum ṽ. Ipſi vero ꝯſiderauerũt ⁊
inſpexerũt me diuiſerũt ſibi veſtimẽ
ta mea ⁊ ſup veſtẽ meã miſerunt
ſortẽ ṽ. Libera me de ore leonis ⁊
a cornibꝰ vnicorniũ hũilitatẽ meã
ṽ. Qui timetis dñm laudate eũ
vniuerſum ſemẽ iacob magnifi/
cate eũ ṽ. Annũciabit dño gñacio
vẽtura. ⁊ ãnunciabũt celi iuſticiã
eius ṽ. Populo qui naſcet quẽ fe
cit dñs. Hic nõ dr̃. Dñs vobiſcũ
nec oſculet liber. ſed dr̃. Paſſio do
mini nr̃i iheſu chriſti Scḋm Ma/
theũ. Nõ dr̃. Gloria tibi domine.
Notãdum q; vbicũq; habetur N

mediocriter cantari debet. vbi aũt
A alte. ſed vbi T tacite. Medio mo
do. Paſſio domini noſtri iħu chri/
ſti ſcḋm Matheum. xxvi.

In illo tẽpe. Dixit iħs di. ſ.
t Scitis q̃ɀ poſt biduum
paſcha fiet: ⁊ fili⁹ hominis
tradet᷑ vt crucifigat᷑. m Tũc ɔgre
gati ſũt p̃ncipes ſacerdotũ et ſeni
ores p̃pl'i in atriũ p̃ncipis ſacerdo/
tũ: q̇ dicebat᷑ capphas: ⁊ cõſiliũ fe/
cerũt vt iħm dolo tenerẽt ⁊ occide
rẽt. Dicebãt aũt. a Nõ in die feſto.
m Ne forte tumult⁹ fieret in p̃pl'o.
Cũ aũt eẽt iħs in bethania i domo
ſymonis leproſi: acceſſit ad eũ mu
lier hñs alabaſtꝝ vngẽti p̃cioſi. et
effudit ſup caput ipſi⁹ recũbẽtis.
Vidẽtes aũt diſcipuli: indignati ſũt
dicẽtes. a Vt q̇d p̃dicio hec? Potuit
em̃ iſtud venundari multo: ⁊ dari
paup̃ib⁹. m Sciẽs aũt iħs ait illis.
t Quid moleſti eſtis huic mulieri?
Opus bonũ op̃ata ẽ in me. Nã ſẽp
paup̃es habebitis vobiſcũ: me aũt
nõ ſẽp habebitis. Mittẽs em̃ hec vn/
gentũ hec in corp⁹ meũ: ad ſepelien
dũ me fecit. Amẽ dico vobis: vbicũ
q̃ɀ p̃dicatũ fuerit hoc euãgeliũ in to/
to mũdo dicet᷑. ⁊ q̃ɀ hec fecit in me/
moriã ei⁹. m Tũc abijt vn⁹ de duo
deci q̇ dr̃ iudas ſcharioth ad princi
pes ſacerdotũ: ⁊ ait illis. a Quid
vultis michi dare. ⁊ ego vobis eũ
tradã? m At illi ɔſtituerũt ei trigin
ta argenteos. Et exinde q̃rebat o/
portunitatẽ: vt eũ traderet. Pri/
ma aũt die azymoꝝ acceſſerũt diſci/
puli ad iħm dicẽtes a Vbi vis pa
rem⁹ tibi ɔmedere paſcha? At ihe
ſus dixit. t Ite in ciuitatẽ ad quẽ/
dã ⁊ dicite ei. Magiſter dicit. Tp̃s
meũ p̃pe ẽ: apud te facio paſcha cũ
diſcipulis meis. m Et fecerũt diſ/
cipuli ſicut ɔſtituit illis iheſus: et
parauerunt paſcha. Veſp̃e aũt facto
diſcũbebat cũ duodeci diſcipul' ſu/
is. Et edentib⁹ illis dixit. t Amen
dico vobis: quia vn⁹ veſtꝝ me tra
ditur⁹ ẽ. m Et ɔtriſtati valde: ce/
perunt ſinguli dicere. a Nũquid
ego ſum dñe? m At ille rñdẽs ait:
t Qui intingit mecũ manũ in pa
rapſide: hic me tradet. Fili⁹ q̇dẽ ho/
minis vadit. ſicut ſcriptũ ẽ de illo
Ve aũt hoĩ illi: p̃ quẽ fili⁹ hoĩs tra
detur. Bonũ erat ei: ſi nat⁹ nõ fu/
iſſet hõ ille. m Rñdens aũt iudas q̇
tradidit eũ: dixit. a Nũquid ego
ſum rabbi? m Ait illi. t Tu dixiſti
m Cenãtib⁹ aũt eis: accepit iħs pa/
nẽ: ⁊ bñdixit ac fregit. deditq̃ɀ diſci
pulis ſuis et ait. t Accipite ⁊ ɔme
dite hoc ẽ corp⁹ meũ. m Et accipi
ens calicẽ: grãs egit et dedit ill' di
cẽs. t Bibite ex hoc oẽs. Hic eſt em̃
ſanguis me⁹ noui teſtamenti q̇ p̃
mult: effundet᷑ i remiſſionẽ pctõꝝ.
Dico aũt vob: nõ bibã amodo ex hoc
genimĩe vitis vſq̃ɀ in diẽ illũ cũ il/

lud bibam vobiſcum nouū in reg
no patris mei. [m] Et hymno dic/
to exierunt in montē oliueti. Tūc
dicit illis iheſus. [t] Omnes vos
ſcandalū paciemini in me in iſta
nocte. Scriptū eſt eñ. Percutiam
paſtorē:⁊ diſpgētur oues gregis.
Poſtꝗ̄ āt reſurrexero: p̄cedā vos
in galileā [m] Rñdēs āt petrꝰ: ait il
li [a] Et ſi oēs ſcādalizati fuerīt ī te.
ego nūꝗ̄ ſcandalizabor. [m] Ait illi
ihs [t] Amē tibi dico: ꝗ in hac nocte
anteꝗ̄ gallꝰ cātet. ter me negabis
[m] Ait illi petrꝰ. [a] Etiā ſi oportue/
rit me mori tecū: nō te negabo. [m]
Similr ⁊ oēs diſcipuli dixerūt. Tunc
venit ihs cū illis in villā q̄ dr̄ geth/
ſemani: ⁊ dixit diſcipulꝭ ſuis. [t] Se
dete hͣ: donec vadā illuc ⁊ orē [m] Et
aſſūpto petro et duobꝰ filijs zebe/
dei cepit ꝯtriſtari ⁊ meſtꝰ eē. Tunc
ait illis. [t] Triſtis eſt aīa mea vſqꝫ
ad mortē. Suſtinete hͣ: ⁊ vigilate
mecū [m] Et ꝓgreſſus puſillū: ꝓci
dit in faciē ſuā orās ⁊ dicēs. [t] Mi
pr̄: ſi poſſibile ē. trāſeat a me calix
iſte. Verūtñ nō ſicut ego volo ſꝫ ſi/
cut tu. [m] Et venit ad diſcipulos
ſuos. Et inuenit eos dormiētes. ⁊
dicit petro. [t] Sic: nō potuiſtis v/
na hora vigilare mecū? Vigilate
et orate: vt nō intretis in tēptacio
nē. Spūs q̄dē ꝓmptꝰ eſt: caro aūt
infirma [m] Iterū ſecūdo abijt: ⁊ o/
rauit dicēs [t] Pater mi ſi nō pōt hͨ
calix trāſire niſi bibā illū: fiat vo/
luntas tua [m] Et venit iterū: et in/
uenit eos dormiētes. Erāt eī ocu/
li eoꝝ grauati. Et relictis illis ite/
rū abijt et orauit tercio eundē ſer
monē: dicēs. Tūc venit ad diſcipu
los ſuos: ⁊ dicit illis [t] Dormite iā
et requieſcite. Ecce appropinꝗ̄bit
hora: ⁊ filiꝰ hoīs tradet̄ in manus
peccatoꝝ. Surgite eamꝰ. Ecce ap
propinꝗ̄bit q̄ me tradet [m] Adhuc
ipſo loquēte: ecce iudas vnꝰ de du
